



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

226. Heirathstractate zwischen dem Könige Franz von Frankreich und dem
Kurfürsten Joachim über die Vermählung des ältesten Sohnes des letztern
mit der Franzöischen Prinzessin Renata, am 15. August ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

226. Heirathstractate zwischen dem Könige Franz von Frankreich und dem Kurfürsten Joachim über die Vermählung des ältesten Sohnes des letztern mit der Französischen Prinzessin Renata, vom 15. August 1517.

Cum ad honorem et gloriam omnipotentis dei nec non virginis christipare Inter clarissimum virum Anthonium de prato, militem, jurius vtriusque Doctorem, Dominum de Nancoulleto, Marchemoreto et superiori via francie, Mediolani ac Britannie Cancellarium, commissarium delegatum ac ordinatum per Serenissimum ac christianissimum francorum Regem ad peragenda infra scripta ex vna parte, Et Magnificos strenuos et Honorabiles Viros Bernardum de Zcebitz, juris vtriusque Doctorem, Melchiorem pfull Et Joachimum Moltzan, Illustrissimi Marchionis Brandenburgensis Electoris Sacri Imperij consiliarios, ambasiatores, procuratores ac deputatos per eundem Marchionem ad tractanda et concludenda infra scripta ex alia, fuerunt tractati et conuenti articulj sequentes sub beneplacito tamen dictorum Serenissimi ac christianissimi Francorum Regis Et Illustrissimi Marchionis Brandenburgensis Electoris Imperij, Quibus in omnibus et per omnia est reseruatus eorum expressas ac specialis consensus, Et quia Predicti domini Marchionis Principis Electoris consiliarij assererant, se in negotio subscripto non habere mandatum ad concludendum, Propterea misit Christianissimus Rex ad prenominatum Dominum Marchionem sue Regis celsitudinis Consiliarios et Oratores, Videlicet Joannem de Sains, dominum Marignij, Ballium Siluanectensem et Joachimum De Moltzan, Equitem auratum, ad subscriptos articulos vltierius tractandos, concordandos et concludendos. Et Inprimis cum dicti oratores ex Mandato Prefati Illustrissimi Marchionis peterent a jam dicto Christianissimo Rege Dominam Renatam francie quondam felicissime memorie Ludouicj, Christianissimi Regis francorum, Et Illustrissime Domine Anne, Ducisse Britannie, eius cum in humanis agerent consortis, filiam, in matrimonium cum filio primogenito Predicti Illustrissimi Marchionis collocari, Eorum petitioni jam dictas christianissimus Rex annuit et consensum prebuit propter intimum amorem et cordialem affectionem, quam gerit in dictum Marchionem nec non eius filium primogenitum ob egregias virtutes, quibus decoratj sunt. Verum quia jam dicta Domina Renata per couentiones et tractatus nuperrime conclusos Nouionij inter jam dictum Christianissimum Regem francorum ex vna Et Regem Catholicum ex alia fuit in sponsam futuram deficientibus filiabus christianissimi Regis jam dicto Regi Catholico promissa, Et eo deficiente Illustrissimo fratri suo ferdinando, jdcirco promissiones et pacta que fient super jam dicto futuro matrimonio dicti primogenitj Illustrissimi Marchionis Brandenburgensis non vendicabunt sibi locum, si promissioni et sponsioni facte jam dicto Regi catholico sit locus, dicta Domina Renata perueniende ad nubilem annos. In fauorem cuius Matrimonij et pro omni parte et portione quam dicta domina Renata habet et habere potest in successibus quondam Illustrissimorum Patris et Matris ex causa

de presenti vel de futuro christianissimus Rex donabit illi in dotem et nomine dotis Centum quinquaginta milia scutorum auri solis boni ponderis, nunc cursum in Regno francie habentium, Videlicet Centum milia in die solemnisationis jam dicti Matrimonij, Et quinquaginta milia restancia annis tribus statim subsequenter ordine subscripto solui debeant, Anno enim primo post diem copulationis per verba de presenti facte quindecim milia, sequenti autem anno totidem, Tertio vero anno Viginti milia scuta aurj de sole iusti et boni ponderis, Nec non dabit Christianissimus Rex domine Renate vestes nuptiales secundum statum suum et ut decet filiam Regis Francie. Illustrissimus princeps Elector Regie sue liberalitati atque arbitrio committit, si velit et dare argenteam suppellectilem et aliqua jocalia. Medio cuius constitutionis dotis jam dictus futurus Sponsus nec non dicta Domina Renata et vnusquisque ipsorum Renuntiabunt omni juri competenti dicte domine Renate in successibus suorum quondam Patris et Matris ex causa de presenti vel de futuro in fauorem et vtilitatem jam dicti christianissimi Regis dotem constituentis et descendendum ab eo, Et hoc meliori modo et forma quibus fieri poterit ad securitatem jam dicti christianissimi Regis. Insuper conuentum extitit Quod dictus futurus Sponsus in die solemnisationis dicti Matrimonij dabit Jocalia et ornamenta muliebria dicte future sponse secundum statum et qualitatem sue persone Et prout Marchiones Brandenburgenses soliti sunt facere suis futuris sponis. Et quia petebatur ex parte christianissimi Regis vt insequendo mores vsus et consuetudines Regni francie, Quod dicti futuri sponsi essent communes et socij in mobilibus et in acquisitionibus fiendis, Et quod due partes dicte dotis censerentur proprium jam dicte domine Renate et tertia pars esset mobilis, Et quod ille due partes in casum restitutionis dotis restituerentur dicto domine Renate aut suis Et ipsa superviente jam dicto suo futuro sponso omnia mobilia ad eam spectarent, Nec non media pars acquisitionum ad suos heredes pertineret, ipso futuro sponso eo casu omnia mobilia habente. Jam dicti vero Oratores domini Marchionis asseruerunt suas consuetudines esse omnino contrarias, Et quod Maritus vxori impartitur donationem propter nuptias equalem dotj, quo mulier vna cum dote quamdiu agit in humanis etiam post mortem maritj vitur et gaudet, Et post ejus decessum et dos et donatio propter nuptias ad maritum vel eius heredes reuertuntur. Ideirco Et ne iam dictarum consuetudinum contrarietas predictum futurum matrimonium impediret, Christianissimi Regis francie consiliarij et Oratores cum Illustrissimo Domino Joachimo Marchione Brandenburgense Principe Electore in hunc qui sequitur modum subscriptum concordarunt et concluderunt. Videlicet Quod soluto matrimonio due partes predictae dotis reuertentur ad dominam Renatam aut suos liberos Et illis non existentibus Christianissimo Regi et Illustrissime Regine consorti sue et descendens ex eis Restituenturque et soluentur per dictum Illustrissimum Dominum Marchionem Brandenburgensem seu eius filium primogenitum futurum sponsum aut eorum heredes primo die sequentis anni post solutum matrimonium, alia autem tertia pars dotis apud dominum Marchionem Joachimum dicti Domini Marchionis Principis Electoris primogenitum et eius heredes permanebit. Item dictus Dominus Marchio

seu eius filius futurus sponfus donabunt in dotalicium seu donationem propter nuptias dicte future sponse duo castra munita vtenfilibus et mobilibus secundum statum sue persone vnacum decem et septem milibus aureorum Renensium In fructibus et redditibus annuis cum omnimoda Jurisdictione et mero Imperio, Quibus castris, fructibus et redditibus dicta futura sponfa vtetur et gaudebit soluto matrimonio si supervixerit suo futuro sponso et tam diu quamdiu aget in humanis, Et post eius decessum prefata castra vnacum vtenfilibus et mobilibus eo modo, quo tunc erant, Nec non dicti Redditi reuertentur pleno jure ad dictum Marchionem seu eius filium et futurum sponsum aut eorum heredes. Vtcrius conuentum extitit, Quod soluto matrimonio ad dictam dominam Renatam seu eius liberos et illis non extantibus Christianissimo Regi et Illustrissime Regine consorti sue et descendentes ex eis spectabunt sue vestes Nec non ornatus muliebres et jocalia. Et non tenebitur dicta domina Renata aut eius heredes ad solutionem quorumcunque debitorum jam dicti sui futuri sponfi. Preterea conuentum fuit Quod cum primum dicta domina Renata compleuerit annum duodecimum sue etatis, ducetur honorifice et secundum statum suum expensis Christianissimi Regis Coloniam citra Rhenum, quo in loco recipietur honorifice et secundum statum suum per dictum dominum Marchionem et eius filium primogenitum Et ibidem fient instrumenta solutionis et alia necessaria, secundum pacta et couentiones jam dictas, Que instrumenta et securitates necessarie dabuntur jn manibus delegatorum et commissariorum per Christianissimum Regem, Et pariter eo in loco per verba de presentj Dictus primogenitus eam desponsabit, Quo peracto jdem Marchio seu eius filius primogenitus traduent expensis eorum dictam dominam Renatam honorifice et secundum statum suum in domum eorum, in qua solemnisabuntur nuptie secundum ritus et mores illius patrie seu regionis. Et cum instanter fuerint requisitj dicti Oratores, vt preberent assensum, Quod jam dicta Domina Renata medio dicte constitutionis dotis successioni future collateralium renuntiaret vnacum futuro suo sponso, dixerunt quod predicta dos cedebat solum in locum successionum quondam Patris et Matris dicti Domine Renate Et quod si fieret renuntiatio successionis future collateralis esset sine causa et jndiscreta et nullius momenti, attamen quia intuentur dictam renuntiationem plurimum cedere jn commodum Christianissimj Regis ad obuandam litibus, Jurgijs et controuerjsijs, que obuenerent, si dicta renuntiatio non fieret, Promittunt et consentiunt dicte renuntiationi fiende per dictos futuros sponfos, Dummodo ob illam Renuntiationem et spem, quam jlla Domina Renata potest habere jn illis futuris successionibus, Dictus Christianissimus Rex donet aliquam pecunie summam dicte Domine Renate, que pecunia erit extra dotem et censbitur esse de bonis paraphernalibus dicte Domine Renate, quam pecunie summam arbitrabuntur Dicti Christianissimus Rex Et Marchio Brandenburgensis. Et quia jam dictus Cancellarius persistebat, Quod medio dictarum pecuniarum in dotem constitutarum, que excedunt summam solitam dari in dotem filiabus francie, Dicta Domina Renata et eius futurus sponfus deberent renunciare successioni future collateralium, Cui renuntiationi dicti Oratores

noluerunt assensum prebere, Nisi modo quo supra, jdcirco prefens articulus indecisus remaneret, Et eo medio jam dictum futurum Matrimonium impediretur, fuit remissus per supradictos deputatos dicto Christianissimo Regj Et Marchioni Brandenburgensi. Quod audiens dictus Rex Christianissimus et plene et ad longum predictum articulum discutens jntellectis rationibus et causis dicte difference liberaliter condescendit donare pro dicta renuntiatione fienda Quinquaginta milia scuta vltra alias summas concordatas, vt jn mandato expressum est, de qua summa Dominus Marchio non contentabatur. Ideo oratores Regis ex specialj commissione Majestatis sue addiderunt summam viginti quinque milium scutorum jta quod pro dicta renuntiatione collateralium totalis summa erit septuaginta quinque milia scutorum aurj solis soluenda in septem annis tali modo, Videlicet quolibet anno decem milia vltimo vero hoc est septimo anno quindecim milia scuta soluentur. Qui quidem septem anni incipere debent, Postquam anni tres jntra quos debet solui vna pars dotis dicte Domine Renate fuerint elapsi siue funti. Mediante qua summa septuaginta quinque mille scutorum Dicta Domina Renata et suus futurus sponsus renuntiabunt meliorj modo et forma, que poterit per sapientes aduifari pro valitate et securitate dicte Renuntiationis, omni future successioni collateralj, Et omnibus quibuscunque bonis per Patrem et Matrem dicte Domine Renate derelictis, Et de nunquam redeundo ad illa bona jn defectu Regine sororis sue et descendentium ab ea Et fiet predicta renuntiatio ad commodum et vtilitatem dictj Regis Christianissimi et suorum successorum eo quod donat et soluit predictam summam septuaginta quinque mille scutorum. Quare ut premoratum est jn laudem et gloriam omnipotentis dei gloriosissimeque virginis marie ac omnium sanctorum concluderunt et harum serie ac per presentes litteras conueniunt et concludunt Illustrissimus dominus Marchio Brandenburgensis Princeps Elector pro se et nomine jllustrissimi domini Joachimi primogeniti sui Et Magnifici, Generosi ac Nobiles Domini Videlicet Joannes de Sains, Dominus de Marignij, Bellius siluanectensis Et Joachimus de Moltzan eques auratus conuinctim et diuisim nomine et auctoritate Christianissimi Regis francie et vigore mandatj a sua Regia celsitudine accepti omnes supra scriptos articulos per Christianissimum Dominum Regem ac dominum Marchionem Principem Electorem et primogenitum suum perpetuo jnuiolabiliter regio verbo et sub bona fide seruatuos. Preterea Ex auctoritate et Mandato de quibus supra ante dictj Consiliarij et Oratores Regij annuerunt et consensum prebuerunt Dominam Renatam, laudabilis memorie Ludovicj Regis francie relictam filiam, Illustrissimo Domino Joachimo primogenito sepe fato in sponsam futuram collocandam. Ob id Nos Joannes de Sains dominus de Marignij, Bellius siluanectensis Et Joachimus de Moltzan Eques auratus Consiliarij et Oratores Christianissimi Domini francisci francorum Regis Inuictissimj promittimus et pollicemur auctoritate et nomine serenissimi Domini Regis nostri omnes supra scriptos articulos, tractatus, conuentiones, pacta et conclusa per Christianissimum Dominum Regem nostrum jnuiolabiliter obseruatuos Et quod jllustrissimo Domino, domino Mar-

chioni Brandenburgensi presentabimus seu presentari curabimus omni mora posthabita litteras sue Regie celsitudinis Ratihabitorias et obligatorias de obseruantia omnium et singulorum articulorum sub subscriptione manus ac appensione sigillj Majestatis sue Regie celsitudinis. Quibus litteris Ratihabitorijs debent inferi de verbo ad verbum omnes supra scripti contractus conuentionum et pactorum conclusorum. Et Nos Joachim, dei gratia Marchio Brandenburgensis, Sacrj Romanj Imperij Archicamerarius Princepsque Elector, Stettinensis, Pomeranie, Cassuborum, Sclauorumque Dux, Burggrauus Nurenbergensis ac Regie Princeps, Accepimus omnes prefatos articulos de quibus conuentum et conclusum est Pollicemurque bona fide Illos atque omnia alia pacta conuenta et conclusa nostro et primogenitj filij nostri Joachimi nominibus et cum eo firmiter et quemlibet in suo ordine obseruatuos Et erimus paratj, prout filius noster primogenitus clarissimus paratus esse debet et wult, facere omnes renuntiationes supra annotatas cum futura sua sponfa Illustrissima Domina Renata omnibus bonis et juribus, que ex utroque parente, ymo et ex successione collateralis, prouenire valeant et in quibus succedere potest, melioribus modo jure et forma, quibus efficacius fieri poterit et debet, Ita ut et nobis atque filio nostro debite et sufficientes inscriptiones et obligationes summarum constitutarum nomine dotis et Renuntiatione juris Domine Renate ex aduerso et Christianissimo Rege pro sua Regia celsitudine et eius heredibus iterum in meliori forma et jure sicut Illustrissimi Principes Marchiones sponte se facturos paratj sunt offerentur. In quorum omnium euidentis robur et testimonium Nos Joannes de fains, Dominus de Marignij, Bellius siluanectensis Et Joachimus de Moltzan Eques auratus De mandato speciali sub verbo et fide Christianissimi domini Regis nostrj francie nobis tradito, Et Nos Joachim, Marchio Brandenburgensis, Princeps Elector, Nostro et filij nostrj primogenitj nominibus has litteras manibus nostris subscriptas sigillorumque nostrorum fecimus appensione communij. Vt aut omnia ista conclusa et concordata firmiter atque clarius per litteras patentes tam et Regia celsitudine quam Illustrissimo Marchione Principe Electore corroborentur, debent minute seu copie hic per Illustrissimum Marchionem formarj ac concipi. Ad quarum tenorem littere a Regia serenitate debent Majestatis sigillo sigillarj ac manu Regia subscribi prout et pariter eiusdem tenoris et affectus per Dominum Marchionem Principem Electorem littere conficiuntur, subscribuntur atque sigillantur, que patentes sigillateque littere hinc inde ad Manus Regie serenitatis atque Illustrissimi Principis Electoris postea transmittentur Ita tamen vt fiant ad beneplacitum serenissimi domini Regis Et principis Electoris Presentibus ibidem Reuerendis in christo patribus strennuis Eximijs ac validis Dominis Theoderico Lubucensi Et Hieronimo, Brandenburgensi Ecclesiarum Episcopis, Bernardo de Moltzan, equite aurato, Bernardo de Zeebitz, vtriusque juris Doctore, Melchiore pfull, Sebastiano Stublinger, juris vtriusque Doctore et Cancellario, consiliarijs nostris. Date in Arce nostra Colonienfi cis Spreuam,

Anno a Natiuitate christi Millefimo quingentesimo decimo septimo, die solis, decima quinta Mensis Augusti.

Aus dem Churmärkischen LehnsCopialbuche VI, 44.

227. Kurfürst Joachim nimmt Konrad von Schweteln in seinen Dienst und Schutz,
am 19. März 1518.

Wir Joachim, Marggraff zu Brandenburg vnd kurfürst etc., Bekennen vnd thun kunt offentlich mit diesem briue vor allermeniglich, das wir vnsern lieben getrewen Curt von Sweteln vff die beredung, so vnser Rath vnnnd lieber getrewer Er Dittrich von Hardenberg etc. zwischen vnns betedingt, In vnser sunderlich schutz, schirm, versprechnus, verbitung vnd verschreibung In als vnnsrer eigen lehnmahn, Rath vnd diener, wo wir sein, zu gleich vnnnd recht mechtig sein, zuuertheidigen vnd zu hanthaben vffgenohmen vnnnd empfangen haben, vnnnd wir nehmen In also vff Inn vnnsrer versprechnus, wie obftet, In crafft vnnnd macht ditzs briues. Widerumb hat er sich gein vnns verpflichtet vnd verschrieben vns vff dieselb gescheen beredung auf vnnsrer erfördern dinst gewertig zu sein, vnnsrer nutz zubefördern vnnnd bests zu wissen vnnnd vnnsrer schaden zu verhalten, alles getrewlich vnnnd vngeuerlich. Zu urkunt etc. Geben zu Hamell, am freytag nach Letare, Anno etc. XVIII.

Aus dem Churmärkischen LehnsCopialbuche XXXI, 279.

228. Kurfürst Joachim nimmt Gebert Schenken in seinen Dienst und Schutz,
am 28. März 1518.

Von gots gnaden Joachim, Marggraue zu Brandenburg etc., kurfürst etc., Bekennen vnd thun kunt offentlich mit diesem briue fur allermeniglich, Das wir vnnsrer lieben getrewen Gebert Schencken auff die beredung, so vnser Rath vnd lieber getrewer Er Ditterich von Hardenberg zwischen vns gehabt, Inn vnnsrer sonderlichen schutze, schyrm vnd verbietung auffgenohmen vnd empfangen haben, Im gleich ander vnser Mahn vnnnd vnderthan, wo wir sein, zw gleich vnnnd recht mechtig sein, zuschutzen, zuschyrmten vnd zuuerteitigen, vnnnd wir nehmen gnanten Gebert Schencken auff Inn vnnsrer sonderlichen schutz, schyrm vnd verbitung, wie obftet,